

38 4
Theologicæ cōclusiones deductæ ex prio-
ri epistola D. Pauli ad Corinthios,
quam interpretatus est
hoc anno
Romæ

R. Pater Ioannes Cuuillon, professor
Theologicæ societatis I E S V, in
Collegio eiusdem so-
cietatis.



Romæ apud Antonium Bladum.

M. D. L I I I I.

Ex priori epistola ad Corinthios breues
conclusionones in publicam disputa-
tionem proposita.

- A**postoli supremi in Ecclesia (quibus nulli alii aliorum statuum, & graduum pares unquam fuerunt) & legati Christi, cum ad gentes venirent, dicerentque se esse missos a Deo ad predicandum Evangelium, & hoc ipsum miraculis contestarentur, debebant omnino recipi. Sanctificatio, de qua loquitur Apostolus, vocans Corinthios sanctificatos in Christo Iesu, non fuit ex auditu fidei tantum, neque ex baptismo tantum, sed ex utroque.
- Inuocatio nominis Domini nostri Iesu Christi, de qua idem Apostolus loquitur, neque potest fieri ab infideli, neque a malo christiano.
- Propositio (per) non solum tribuitur Filio in scripturis, sed etiam Patri, per quem vocati sumus in societatem filii eius.
- Filius autem merito ab Apostolo Dominus appellatur proprio vocabulo, & incommunicabili tam Patri, quam Spiritui sancto; Si spectetur scopus redemptionis, quam solus filius, suum sanguinem expendens, perfecit.
- In baptismo, neque a bono plus, neque a malo minus, tribuitur sacerdote.
- Nulla veteris legis sacrificia, aut sacramenta, quaequam potuerunt sanctificare: Sed solus Christus, qui factus est nobis sanctificatio a Deo Patre.
- In praedicatione Evangelii vti Philosophia, ut seruiat Evangelio, non est malum; sed ad normam Philosophiae res fidei exigere, impium est.
- Dei mysteria cognoscunt illi omnes & soli, qui habent spiritum Dei, quorum est loqui in doctrina spiritus, & spiritualibus spiritualia comparare. Animalis autem homo non intelligit, quae spiritualis intelligit, qui iudicat omnia, & a nemine iudicatur.
- Praterquam in fundamentis, qui est Christus, nemini unquam salus obigit; & qui ante legem, vel in lege salui facti sunt, in Christum crediderunt explicitè, vel implicitè.
- Non probabiliter solum, sed necessario Purgatorium Apostoli verba, de eo, cuius opus arserit, saluus autem erit, sic tamen quasi per ignem, stabiliunt.
- Excommunicationis, qua usus est Apostolus, scopus duplex ex eodem ostenditur: quamuis alter aliquando sufficiat.
- Suum repetere in iudicio sua natura malum non est, neque peccatum est veniale.
- Fornicatio non est peccatum omnium grauissimum. quamuis corpus peculiari ter ignominia afficiat, & est membrum Christi faciat membrum meretricis.

Furtum quandoq; leue peccatum est, & ebrietas aliquando etiam nul' & reddere coniugem coniugi quod debet, et si fiat ad fornicationem declinandam; nullum prorsus peccatum est.

Infideles, quos fides in coniugio deprehendit, non oportet cōmunionē corporum abstinere, cuius iura paria sunt utriq; coniugi: Si alter fornicatur, etiam par potestas repudii deserendi, ita tamen, ut, viuente altero, coniuge, alter aliud matrimonium non ineat.

Si coniugū alter eredit; consultius Apostolus, ut cohabiter infideli, nō precipit verū Christiano, cui consiliū non placuisset, & volentē cohabitare infidelē reliquisset, nō licebat olim aliud m̄rimoniū cōtrahere.

Coniugia, quæ olim Christiani cum infidelibus cōtraherant, vera erant matrimonia: etsi peccarent contrahentes.

Apostolus virginitatem seruauit, quæ etiam in veteri testamento & seruari potuit, & à quibusdam seruata est: In statu autē innocentie nihil laudabile habuisset.

Si corpus corrūpat, nō ideo uirginitas amittit; si p cōsensum in delectationē spūs corrūpat, amittit quidem illa, sed adhuc pōt reparari.

Idolothytis uesci, ex se malū nō est: Cereimonialia autem seruare etiam post mortem Domini antiquata licuit non simulare, sed syncerē.

Quicquid contra conscientiam fit, peccatum est. Prædicantibus Euangelium debet victus tam lege naturali, q̄ Diuina, nō Apostolis solum, sed et oibus, qui fungunt munere Euāgelistæ.

Omnia, quæ accidebant Iudæis in lege, in figura nostri accidebant. Apostolus dicit Idolum nihil esse, & in p̄gressu Dæmonium esse, & Idolothytā nihil esse cū dixerit, postea Dæmonius oblata esse significat.

Nec tamen sibi repugnat. Caput mulieris uir est, caput uiri Xps, caput Christi Deus; Ideo mulier cuiuscunq; status sit, uelari in Ecclesia debet, uir autem absq; uelamento esse, quia est imago Dei & gloria, mulier autē gloria uiri.

Consuetudo antiquitus obseruata in ecclesia uniuersali habet vim legis. Christus Dñs decima quarta luna ad uesperā, corpus suum ex pane azymo iisdē uerbis, quibus ecclesia uicitur, consecrauit: & tam ipse sūpsit, q̄ Iudæ etiam ministravit: Idem fecit de sanguine, in quē conuertit uinum etiam iisdem uerbis, quibus Ecclesia.

Eucharistia olim sub utraq; specie præbebatur: nihilominus, qui tantū alterā speciem accipiunt, plenū Christum accipiunt, si seruentur, quæ ad legitimā formam, materiā, & ministrū pertinent: in reliquis ritibus consuetudo Ecclesiarum sequenda est, nec refert ad consecrationē in azymo conficias, an in fermentato.

Paulus sacrificiū facit Eucharistiam, cuius ministri & sacerdotes à Domi

no constituti sunt Apostoli in nouissima cœna.

Nō oīa, quę ordinauit Aplus, sunt scripta, sed multa per manus tradita. Gratia gratis data, quę ē ministratio, & operationes appellantur, sunt à tota Trinitate, & maxime à Spiritu sancto si doni ratio habeatur, quā spectauit Apostolus, dum illas manifestationē spiritus appellat, qui spiritus olim hæc largiebatur ppter Ecclesię necessitatē, & hodie largitur quædam, non oīa: quorum oīum nulla assignari pōt ratio, nisi illa: diuidens singulis pvt vult. Er nō ppter dona præcipue, sed ppter spiritum sanctum, qui vere datur fidelibus, & eos inhabitat, oēs sumus vnum corpus, cuius caput est Christus quā homo.

Necq; fides, necq; spes erunt in futuro seculo, sed prorsus cessabunt, tam quoad actum, q̄ quoad habitum: Charitas autē manebit.

Inter dona ab Apostolo memorata, linguæ minimū Ecclesię vtilēs sunt, Prophetia autē, quæ est cognitio futurorum, & exhortatio, & consolatio vtilior est.

Quatuor, quæ in initio capituli decimi quarti ponunt, ita differunt, Reuelatio, ad cognitionē futurorum pertinet: Scientia, ad perceptionē rerū naturalium: Prophetia, ad consolationē & exhortationē: Doctrina, ad interpretationē scripturarum.

Resurrectio mortuorum nō erit naturalis, sed miraculosa, quę in Xpo primū cepit, & in nullo (q̄tum ex scripturis cōstare pōt) adhuc facta est: q̄uis de Beata virgine nemini dubium sit, quin ē resurrexerit.

Paulo Dñm apparuisse solum in itinere ad Damascum apertē scripturę ostendunt, aliās, aut alibi, non apertē significant.

Postq̄ oīa Christi mēbra resurrexerint, tum dispensationis Ecclesię militantis finis erit, & tunc primū Christus Regnum Deo & Patri tradet, & euacuabit oēm Dominationē, & Principatum, & Virtutem. Oportet, n. illum debellare inimicos suos, donec oēs expugnauerit & mortē etiā capitalissimam inimicam, quæ vltima destruetur.

Quatuor dotes corporum gloriosorum, id est, Impassibilitatē, Claritatē, Agilitatē, & subtilitatē D. Paulus capite. xv. nō obscure designauit.

Nostri lectio, quæ habet, Oēs quidē resurgemus, sed non oēs immutabimur, facile potest in eum sensum interpretari, quē altera lectio præ se fert, atq; ita etiā à Diuo Ambrosio. exponitur.

FINIS.